


LS



342





342



342

der Schrift von Merz gezeichneten Prof. Dr. J. J. J.

von W. J. J.

der Prof. Dr. J. J. J.

eingeg. d. 10. Jan. 1849.

VII, A, 14.



DE
TEMPLI MECCANI ORIGINE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILIELMA
PRO
SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE XIII. M. JANUARIJ A. MDCCCXLIX

HOR. XII

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

JULIUS LEY

POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS

ANT. DAFFIS, DR. PHIL.

RICH. GOŠCHE, DR. PHIL.

AD. JONAS, DR. JUR. AUSCULT. JUR. CAM.



BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.



DE
TEMPLE MECCANI ORIGINE

DISSERTATIO INAUGURALIS

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN AUSTRIACAE IMPERIALIS
UNIVERSITATE

SCIENTIARUM IN PHILOSOPHIA HONORABILIS

AB AUSTRIACAE IMPERIALIS ACADEMIA

PUBLIUS LEY



Handwritten signature or initials

STRESEN



V I R O

AMPLISSIMO, DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

HENR. ORTHOB. FLEISCHER

LL. OO. IN ACADEMIA LIPSIENSI P. O.

PRAECEPTORI OPTIMO



VIRI

HASCE

AMPLISSIMO DOCTISSIMO HUMANISSIMO

STUDIORUM PRIMITIAS

REVERENDISSIMO PATRI

PIO GRATOQUE ANIMO

ACADEMIAE LIPSICENSIS P. C.

PRÆCEPTORI OPTIMO

D. D. D.

AUCTOR.



DE TEMPLI MECCANI ORIGINE ET HISTORIA.

Praefatio.

Hoc opusculum est particula vel supplementum majoris operis, quod, deo adjuvante, germanice conscriptum propediem edemus. Quo in opere non solum priscum Arabum cultum adhuc plane ignotum, obque religionis Muhammedanae fanaticum studium Muslemorum innumerabilibus commentis obrutum, in lucem protulimus, sed etiam totam templi Meccani historiam, inde ab origine usque ad islamismum exortum, contexta oratione exposuimus. In hac autem historia gravissimi erat momenti, tempus constituere, quo illud templum initium ceperit, quod, quantum scio, Europaeorum doctorum nemo ante me propter innumerabiles difficultates ne aggredi quidem ausus est. Hunc igitur libellum, quum non modo difficillimam hanc quaestionem explanet sed etiam priscos obscurosque adhuc antiquae Arabiae populos, Djorhamitas et

Ismaelitas, collustret, a summis et illustrissimis philosophici ordinis viris spero dissertatione inaugurali dignum iudicatum iri.

Sed accommodatum nostrae disquisitioni esse existimavimus, antequam ipsam historiam templi Meccani delineare aggredimur, primum referre, quid de eo Muhammedani ipsi ferant credantque. Quamquam enim narrationes fabulosae sunt innumerisque scatent erroribus, quam tamen a tot millibus pro veris habeantur, jam per se scitu haud inutile est, praesertim quum aliquid veri in iis lateat, quod mirum in modum, in omni Muslemorum studio omnia vel Korano vel Islamismo non convenientia delendi, opprimi tamen non poterat. Qua in re quanta sit veritatis vis cognoscimus, quum neque mendaciis de industria affectis, neque rumoribus per errorem dissipatis ita potuerit obtegi, quin eam perscrutanti mox perluceat et velut sponte obviam veniat.

Jam et illud operae pretium existimavimus, quod ex his de templo Meccano affectis nugis aperitissime cognoscere possumus, quomodo fabula rumore quodam male intellecto exorta, diuturnitate temporis, additamentis ex aliis populis historiisque assumptis magis magisque increverit et ad historiae speciem longo filo contexta et exornata sit.

CAPUT PRIMUM.

De fabulis de templo Meccano divulgatis.

In fabulis de templo referendis auctorem *Cotbeddinum Al Hanifa Scheichum* potissimum sequimur, qui, quum templum sub Murado II imperatore (a. 950 p. Hed. et 1446 p. Chr.) restauraretur in libro suo „historia sanctae urbis“¹⁾ omnia conguessit, quae illustrissimi Muslemorum praeceptores de hac inclyta urbe ejusque sanctuario tradiderunt. Hoc enim relato, jam integra et ab omnibus partibus absoluta nobis praebebitur fabula, omnibus temporum additamentis exornamentisque aucta et amplificata, ut quod Muslemi hodie hac de re statuunt, plane sciamus. Quod quum fecerimus, tum nostrum erit, analytica quadam methodo ad harum fabularum initia redire, fontesque detegere, quibus effluerint et quibus increverint.

Jam de templi Meccani fabulis ipsum Cotbeddinum laudatum auctorem loquentem faciemus, omissis scilicet omittendis. In capite secundo libri laudati ita incipit:

¹⁾ Notices et extraits de la bibl. tom. IV, p. 528. Augusti: Memorabilien des Orients. Jena, 1802, p. 18.

„Templum Meccanum Caba nominatum decies aedificatum est; primum per angelos, secundo per Adamum, tertium per Adami liberos, quartum per Ibrahimum (Abrahamum) quintum per Amalekitas, sextum per Djorhamitas, septimum per Kozaium Kelabi filium et Muhammedis prophetae avum, octavum per Koraischitas quo tempore Muhammedes vigesimum secundum annum agebat, nonum per Abd' Allahum Zobairi filium, decimum denique per Hadjadjum Jussufi filium (74 p. Hed. 696 p. Chr.).”

„*De Caba per angelos aedificata* antistes Ersakius antistitem Mohammedem Bakirum, e gente Ali oriundum, ita loquentem fecit. Ego et pater meus aliquando Meccae fuimus sacros ritus facturi. Patri autem meo rite Cabam circummeunti vir magnae staturae accessit, dextraque oblata, salutem dixit. Sed pater meus sacra executus, quisnam esset et quid vellet ex illo quaesivit. Ille se unum ex Hierosolymorum praeceptoribus esse atque de circumfisionis more edoceri velle respondit. Tum pater, audi, mi frater, meaque verba in pectore tuo velim esse abscondita. Quum deus optimus maximus angelis hominem creandum hisce verbis indixisset „faciam in terris vicarium meum” (Sur. II, v. 28), angeli, eumne, inquebant, vicarium tuum facies, qui male in terris aget, sanguinemque effundet, quum nos, omni invidia et inopia carentes, perpetuo te laudamus et praedicamus? Deus vero, ego, inquit, scio, quod vobis incognitum est. Conticuerunt angeli et dei indignationem pertimescentes sub thronum confugerunt et lacrimabundi veniam dicti petierunt; deinde thronum dei ter circumierunt. Tum deus propitius eos conspiciens Cabam, h. e. templum dei, sub throno posuit eamque in eundem modum circumiri iussit. Deinde deus

templum illi coelesti simile ab angelis aedificari, aedificatumque ab omnibus animalibus jussit circumiri eodem modo, quo in coelo ab angelis factum esset. Inde et Cabae origo et circumitionis mos exortus est."

„Ceterum multi sunt theologi, qui binis jam millibus ante creatum mundum Cabam in coelo conditam esse dicunt."

„*De secunda Cabae exstructione* antistes Ersakius ita ab Abbaso Muhammedis patrueli sibi esse traditum dicit. Postquam deus Adamum peccantem de coelo in terram dejecit, homo, o deus, clamavit, quid feci, ut angelorum hymnos numquam possim audire? At deus, peccasti, iuquit, itaque numquam angelorum voces audies. Verum voluntas est mea, ut hinc in terram abeas, ibique templum extruas, exstructumque eodem modo circumeas, quemadmodum ab angelis fieri vidisti. Et abiit Adamus totum orbem terrarum perlustraturus, et ubicunque iter fecit, ibi omnia vivescere et animari coeperunt. Quum tandem Meccam perveniret, Gabrielus angelus ei apparuit, levatisque alis terram designavit, quae tacta septuplum profundum fundamentis templi jaciendis patefecit. Angeli vero dei lapides e quinque montibus Libano, Sina, Djuda, Hara, Moria congestos in profunditatem jecerunt. Tum deus fundamento jacto Cabam de coelo demisit, quae ex rubino concavo in quinque columnis albis imposito constabat. Postea vero quum diluvium ingruens omnia vastaret, Caba, fundamentis remanentibus, in coelum a deo recepta est."

De tertia Cabae exstructione nihil peculiare relatuque dignum memoratur.

„*De quarta Cabae exstructione*, pergit auctor, et

ipse deus, scilicet in Korano, et traditiones testantur. In qua exstrukione Ismaelem lapides humeris impositos attulisse, Abrahamum vero ipsum delubrum condidisse satis constat. Jam et hoc certum est, lapidem, in quo Abrahamus aedificans stabat, sponte se eo altius elevasse quo sublimius muri erigebantur. Quum vero jam eo processisset labor, ut in eum muri locum, cui *lapis niger* ingerendus esset, jam perventum esset, Abrahamus Ismaelem filium lapidem aliquem afferre jussit, ut eo loco insertus documento esset posteris, unde circumitionem circa templum faciendam exordiri oporteret. Nondum Ismael patris mandatum erat exsequutus, quum angelus dei Gabriel apparuit Abrahamoque in sacrum opus intento lapidem nigrum ab diluvii tempore in monte Ebicabiso absconditum pertulit. Hic vero lapis tam splendidus tunc erat, ut luce sua totum Meccae territorium illustraret, qui tamen posteriore tempore hominum peccatis niger redditus est." „Sed de hac Cabae exstrukione etiam haec traduntur. Patriarcha Abrahamo duo filii, Isacus ex Sara, Ismael ex Hagara nati erant. Qui quum adolevissent, rixis, ut fit, et jurgiis inter eos exortis, Sara ira incensa juravit, se numquam una cum Hagara habitaturam esse, Abrahamumque impulit, ut divortium cum Hagara faceret. Abrahamus, velut ei deus ipse indidisset, uxori morigeratus Hagaram cum Ismaele secum Meccam, tum temporis locum vastum arboribus solum insitum, abduxit. Locus, in quo nunc templum dei exstructum est, tum nihil nisi collis rubris saxis coopertus erat. Postquam in eum locum, qui Hidjer appellatur, pervenerunt, Abrahamus domum rediturus, Hagara et filio relictis, retro conversus est. Quod quum Hagara videret, itane, inquit, te facere deo placuit?

Ita, respondit Abrahamus. At deus, Hagara inquit, nunquam nos deseret."

„Jam Hagara cum filio, aqua ex utre desiccata, maxima siti affecta septies in collem frustra ascenderat, num ullum hominum vestigium inde posset deprehendere, quum de salute desperanti Gabriel angelus dei apparuit, levatisque alis terram tetigit, quae patefacta magnam aquarum copiam praebuit. Inde fons ille sacer Zemzen nominatus, cujus mirifica vis omnibus nota est, originem duxit. Hagara vero pulvere circum fontem congesto aggerem obstruxit, ne aqua in cassum deflueret. Qua de re propheta dixisse fertur, si Hagara ullam moram traxisset, Zemzen fons totum orbem terrarum inundasset. Jam et angeli vox audita est: Hagara ne metuas, hoc enim loco filius tuus cum patre templum dei aedificabit."

„Forte quum aliquando Hagara et Ismael de dei benignitate colloquentes ad fontis ripam sederent, accidit, ut quidam e *Djorhamitarum* gente hanc regionem transirent et ex ave aliqua, quam in monte Ebicabiso volantem viderant, judicarent, fontem non procul abesse. Itaque regionem perlustrabant, dum in fontem Zemzen pervenerunt. Quum vero fons valde iis placeret; ab Hagara ibi sedente petierunt, ut se suaque huc conferri domiciliaque collocari pateretur. Nostrum erit, inquebant, aquam tibi propriam conservare, modo nobis copiam bibendi dederis. Hagara annuente, Djorhamitae sedes suas ibi confixerunt, quo factum est, ut *Djorhamitae primi Meccae incolae haberentur*. Inter hos Djorhamitas Ismael etiam post matris obitum permansit, eorumque linguam suam commutavit et uxore ducta affinitatem cum iis conjunxit. Hujus posterii *Arabes insititii*, Djorhamitae vero

Arabes indigenae vocabantur, quamvis Ismaelis quoque posterius lingua Arabica uterentur.”

„Spatio interjecto, Abrahamus desiderio suorum affectus a Sara sua petiit, ut Hagaram Ismaelemque visendi copiam daret. Haec vero eam conditionem ei imposuit, ut, iis visis, confestim domum reverteretur. Abrahamus quum Meccam perveniret, Hagaram jam mortuam esse, filium vero venationi adstrictum domo abesse comperit. At senex domum filii ingressus ex nuru sua quaesivit, num quid cibi vel potionis haberet, quibus animum recrearet. Illa vero, nihil sibi esse, respondit. Tum Abrahamus, velim, inquit, ut salutem meam marito tuo referas, dicasque ei meo nomine ut portae limen transferret. Ismael vero quum domum reversus salutem senis et verba comperiret, non dubitavit quin pater affluisset, atque ejus verba ita interpretatus est, ut uxorem suam dimitteret aliamque duceret.”

„Haud paulo post Abrahamus ab uxore sua impetravit, ut filium visere posset. Verum a conditione, quam primum Abrahamo imposuerat, Sara non recessit. Ubi Abrahamus Meccam venit, filium non invenit (venatione enim erat occupatus), sed ab ejus uxore omni, qua debuit, venerantia exceptus est. Bene veneris, inquit illa, misericordia dei te tueatur, et lacte carneque propositis senem longo itinere defatigatum recreavit. Coena finita, quoniam, inquit mulier, longam permensus es viam, hospitii lex fert, ut capite capillisque lavandis te reficiam. Quem ad finem quum lapidem Abrahami pedibus subjiceret, heu mirum! pedum vestigia in lapidem impressa remanebant. Mulier vero (scilicet islamiticae religionis morem secuta) primum dextram, tum sinistram lavit, denique aquis super

caput effusis lavationem ritualement perfectit. Tum Abrahamus resurgens salutem meam tuo marito velim referas, dicasque ei portae limen bonum esse neque unquam transferendum. Ismael vero domum reversus jam ex odore patrem percepit exque uxore quaesivit, num peregrinus quis domi affuisset. Illa vero senem venerabilem beneque olentem affuisse respondit, eumque quum hospitaliter a me exceptus esset, salutem tibi referendam mihi commendasse et dixisse, limen portae bonum esse, ne unquam id transferas. Ut nunquam a te discederem, voluisse patrem meum respondit Ismael, et lapidem insignitum osculatus usque eo reservavit, quum pater Meccam reversus eo innixus Cabam aedificavit. Ubi Abrahamus templum perfectit a deo jussus est, omnes populos ad templum dei visendum invitare. Inde tradunt legem peregrinationis divinam derivari. Patriarchae autem petenti, quomodo faceret, ut omnes populi ipsius vocem exaudire possent, deus inquit, tuum est vocare, meum facere, ut exaudiatur. Tum Abrahamus deo confisus in montem Thebir ascendit et ita vocavit: Qui estis servi dei, audite verba mea. Deus hoc templum fecit ad quod peregrinamini, audite et venite. Quae quum dixisset Abrahamus, omnia, quae unquam fuerunt et aliquando erunt, animalia, omnes, qui jam nati erant et aliquando nascentur, animi „jam obedimus” exclamaverunt.”

Hactenus fabulas de Cabae exordio mythologicas secundum Cothbeddinum laudatum retulimus, cetera, quae sequuntur, quum non amplius primam Cabae originem spectent, suo loco explicabuntur. Neque nos has fabulas refutare conabimur, hęc enim nihil ineptius, sed

ad harum fontes reducere, ut non magis quid falsi quam quid veri in iis insit plane perspiciamus. Quod quum fecerimus, jam viam ad verum Cabae primordium indagandum patefactam et munitam videbimus.

CAPUT SECUNDUM.

De fontibus, e quibus fabulae de Caba relatae emanarint.

Relatarum fabularum tres sunt fontes, qui singuli falsi et erroribus conferti, ingenioso quodam vinculo et artificio in illas historiunculas, quas retulimus, coaluerunt. Primum locum tenet Koranus falsus cum falsiore interpretatione; secundum, rumores quidam veterum Arabum de prima Cabae aedificatione famâ divulgati; tertium denique, Judaeorum Christianorumque nugae de patriarcha deque templo Hierosolymitano confictae.

A. Ab Korano, qui summa et divina auctoritate apud Muslemos valet, exordiamur ejusque de templo Meccano sententiam explicemus. Haud implicite hac de re deseruit in Sur. III, vers. 89:

„Certo primum, quod deus hominibus constituit templum est Meccae, ex quo salus et recta via animantibus effluxit (v. 90): In eo templo manifesta sunt testimonia velut *locus Abrahami*; quod templum qui ingressus est, salvus evasit; deus vero omnibus hominibus peregrinationem ad illud faciendam imperavit, nisi quis impedimentis arceretur.”

68 Jam his in versibus templum Meccanum antiquissimo Abrahami tempore annectitur, quod multo distinctius pronuntiatur in Sur. II, v. 119 etc.

„Memores estote ejus temporis, quum hoc templum ad congregationis locum et asylum hominibus destinavimus; quum diximus, ut preces in loco Abrahami effunderentur; quum pacti sumus cum Ibrahim et Ismaele, ut templum idolis purificatum haberent iis, qui hoc circumirent et frequentarent, qui in dei honorem genua flecterent et procumberent. Memores estote ejus temporis, quum Abrahamus et Ismael fundamenta templi jacentes ita oraverunt: Domine noster, gratiâ accipe hoc templum a nobis, qui es omnia exaudiens et sciens. Redde nos tibi addictos nostramque progeniem tibi deditam; ostende nobis sacros ritus; converte te ad nos, qui es clemens, misericors. Excita ex posteris prophetam, qui documenta tua iis praecipiat, doceatque eos scripta tua sancta et sapientiam et eos expiatis reddat, qui es potens, sapiens.”

His in versibus Abrahamum et Ismaelem Cabae conditores nominari, nemo est, quin intelligat. Etenim illud nihil refert, quod Muhammedes ipse sibi repugnans opus templi purificandi Abrahamo mandatum esse dicit; hoc enim illi oblivioni attribuendum est, in quam propheta saepissime incidit, quum praesentem rerum statum spectans res anteactas referat. Opus enim templi purificandi, quod sibi ipsi a deo esse mandatum animo cogitabat, in orationis impetu Abrahamo attribuit, quem modo aedificatorem Cabae nominaverat. Hanc temporum conversionem plurimum a Muhammede fieri videmus, quum de Abrahamo disserat, quem velut patrem normamque religionis restaurandae propagandaeque existimabat.

Conf. Sur. XXVI. v. 88—104. Sur. XXIX. v. 17—23.
— Geiger: Was hat Muhammed aus dem Judenthum geschöpft? Bonn 1833, p. 126.

Haud aliter Abulfeda, secundum Kamilum, Koranum interpretatus est, qui auctor alias integerrimi iudicii, ubi sacram, quae vocatur historiam attingit nihil a Korano recedere audens stricte ejus verba refert. Sermones vero et rumores de Caba propagatos haecenus respicit, quatenus Korani verbis convenient vel certe non adversentur. Ita in historia antislamitica sua pag. 22 (edid. Fleischer) et plenius pag. 26 his ferme verbis disserit: „Abrahamus Sarae invidia impulsus cum Ismaele et Hagara Meccam se contulit. Cum Ismaele ibi consederunt tribus Arabum Djorhamitarum, qui quum jam in urbis vicinia habitassent, tunc cum Ismaele novo accola societatem inierunt. Ipse mulierem ex illa gente duxit, quae ei duodecim filios peperit. Post id temporis quum Abrahamus a deo sacrosanctam Cabae aedem condere jussus esset, ex Syria ad filium Meccam profectus est et cum filio opus ingreditur, quod ita partiti sunt, ut Abrahamus strueret, Ismael ei lapides subministraret. Quoties opus repetebant preces haec in verba faciebant: domine noster, gratiâ accipe a nobis, qui es omnia exaudiens et sciens (Korani verba). Dum struebat Abrahamus in lapide quodam stabat, qui locus ille idem fuit, qui hodieque locus Abrahami appellatur.”

His ex verbis satis elucet, ab Abulfeda, Korani verba stricte sequente et explicante, Abrahamum primum Cabae aedificatorem haberi, neque alius quisquam, qui haud praecipuo iudicio captus Koranum legit, aliter hujus verba interpretari potest.

At Korani interpretes mira quadam vel inepta potius sagacitate Korani verba ita convertebant, ut rumores omnis generis fabulasque, quae vulgo de Caba tradebantur, iis intexerent, mirificamque Korani de Caba narrationem, multis figmentis additis, mirificentiore redderent. Hunc in finem magnam etiam operam dederunt, ut, quas fabulas Judaei de templo Hierosolymitano traderent, non modo ipsi Cabae vindicarent, sed a Korano jam vindicatas esse ostenderent, qua in re prophetam certe talibus artificiis versutum imitati sunt.

Interpretum vero opiniones brevissime commentator Beidhawius, illustris ille compilator (ad Sur. III v. 89) exponit, cujus verba haec sunt: „Quaesitum est ex Muhammede, quod templum a deo primum hominibus constitutum esset? Ille respondit, primum templum Meccae conditum esse deinde templum Hierosolymitanum. Quum autem rogaretur, quot anni inter haec templa condita interessent, dixisse fertur, quadraginta annos interesse (ab Abrahamo Cabae aedificatore usque ad Salomonem templi Hier. conditorem!). Alii tradunt, Cabam primum ab Abrahamo exstructam esse, postea vero corrutam a Dzorhamitis, tum ab Amalekitis ¹⁾, deinde a Koraischitis restauratam esse.”

„Alii tradunt, jam ab Adamo Cabam aedificatam fuisse, sed quum diluvii tempore in coelum recepta esset, ab Abrahamo denuo exstructam esse. Alii jam ante Adamum tradunt in templi Meccani loco fanum ²⁾ Al Dhurah

¹⁾ Ordo convertendus est, quum Amalekitas a Dzorhamitis Mecca esse expulsos infra videbimus.

²⁾ Schrestani „Zareh” illud vocat, conf. Proke: spec. hist. Arab. p. 118.

appellatum fuisse, in quo angeli dei deambulent. Quum vero Adamus de paradiso coelesti dejiceretur a deo iussus est, peregrinationem ad illud facere idque circumire; tempore autem diluvii idem in coelum quartum relatum esse, ut angeli hoc circumirent; sed haec interpretatio, ait Beidhawius, manifeste Korani verbis repugnat."

Vide, quam praeclare interpretes invicem se excipiant, ut auctoritatem Càbae antiquitatemque magis magisque augeant, ut primi Abrahamum, secundi Adamum, tertii denique deum ipsum Càbae conditorem faciant. Sed horum figmentorum fontes, unde effluxerint, jam mox videbimus.

Locus Abrahami, qui vocatur, quid significaverit, undeque nomen acceperit.

Negari non potest, quin jam ante Muhammedis tempus opinio vulgo valuerit, templum Meccanum communia quaedam cum patriarcha Abrahamo habere. Huic rei vel ille a Korano commemoratus „locus Abrahami" testimonio inservire potest. Hunc enim locum non per Muhammedem nomen suum accepisse, jam inde apparet, quod Korani auctor eo velut probatissimo documento usus est, ut eo antiquitatem Càbae auctoritatemque jam ab Abrahamo sanctam probaret, atque ita de loco Abrahami disseruit, ut non novi quidquam sed rem omnibus notam referret. Verum et illud certum est et infra extra dubium ponetur, templum Meccanum non pleno seculo ante Christum natum exstructum fuisse, neque ullam Arabibus ante tertium

seculum p. Chr. n. Abrahami notitiam fuisse. Unde igitur „locus ille Abrahami” nomen suum traxit?

Per varios fortunae casus, quos alias explicabimus, quum templi Meccani fama inde a tertio seculo p. Chr. totam Arabiam pervagari coepisset, omnium fere Arabum finitimorumque populorum idola et deorum imagines in Cábam congeriebantur. Scharestanius, Massudius, Abulfeda, Hamza Isfabanensis, alii Arabum scriptores Amrum quenam Chosaitarum regem praecipue nominant, qui in Meccam captam aliena, ad id temporis Arabibus incognita idola, Hobal, Isaf, Naila aliaque ex Balca, magna Syriae urbe, transtulerit et pristinum simplicio remque Arabum religionis cultum commutarit. Massudi etiam versus cujusdam poetae Dzorhamitici recitat ¹⁾, in quibus de hac religionis commutatione deque novis idolis inductis conquestum est. Qua de re alias disputabitur.

Ad nostram quaestionem expediendam hoc solum obtineri volumus, multa fuisse in Cába idola, quae ab externis gentibus advecta Arabibus adeo plane ignota erant, ut vix eorum nomina mutilata memoria tenerentur. Nam ut alia omittam, ipse Muhammedes, quum, Mecca capta, Cábam intraret omnia idola et simulacra, quae ibidem posita videbat, pro angelorum, geniorum, prophetarum imaginibus habuit ²⁾, tantaque erat ejus ignorantia idolorum intra Cábam reperorum, ut neque eorum nomina, neque quid significarent, dicere posset.

Hoc eodem tempore accidit, ut multi e Judaeorum gente, qui tum propter rebellionem sub Hadriano factam

¹⁾ Mémoires de l'Académie des inscriptions. Tom. 48, p. 517 etc.

²⁾ Abulfeda: de vita Muham. edid. Gagnier: p. 108.

undique exagitati et oppressi nusquam asylum reperiebant, in hospitem Arabiam profugerent, ut inviis hujus terrae desertis et sancta incolis hospitalitate a Romanorum insectationibus defenderentur. Sed Judaei, quum inde a vetustissimo tempore omnes gentes Arabiam septentrionalem inhabitantes pro Ismaelis posteris haberent, non intermiserunt, quin iis hanc suam originem communem inde ab Abrahamo exorientem probarent, ut affinitatis quoque vinculo hospitii societatem firmarent augerentque. Nihil autem admirandum est, quod Arabes, qui sicut omnes orientales gentes summam gloriam in antiquitate stirpis ponebant, hanc vetustam usque ad Abrahami tempus revocatam originem sibi vindicari, haud moleste ferebant. Hanc prosapiam ab iis tribus Arabicis praecipue acceptam esse postea videbimus, quae haud multo ante Christum natum in Arabiam ingressi *Arabes insititii*, neque stirpis nobilitate Arabibus indigenis, Kahtano oriundis, pares habebantur. Hinc vero factum esse, ut omnes hae tribus, quae a primo seculo ante Chr. n. in Arabiam septentrionalem immigraverant et saepius de Meccae ejusque templi possessione contenderant, *Ismaelitae* vocarentur, infra latius explicabitur.

Jam vero, quum Arabes Abrahamum et Ismaelem velut majores suos agnoscere coepissent, quid mirum, quod patriarcha et filius magnam consequerentur apud eos auctoritatem? qua vero vigente, quid facilius evenire potuit, quam ut e multis illis statuis, quas Arabibus plane ignotas in templo Meccano reservatas supra vidimus, duae magnitudine pulchritudineque eminentes statucae pro Abrahami Ismaelisque imaginibus haberentur colerenturque? Quod re evenisse ex ipsis Muhammedis verbis, quae se-

cundum Sunnam (ita traditiones fide dignissimae vocantur) plerique Arabum scriptores Ibn Al Athir, Djannabius, alii referunt, satis apparet. Referunt enim, Mohammedem, Mecca expugnata, Cābam ingressum quum Abrahami Ismaelisque imagines intueretur, easque sagittas manu gerentes videret, indignatione commotum haec verba dixisse: „Utinam deus omnes idololatrias interficiat; fecerunt Abrahamum sagittas gestantem, quid patriarchae cum sagittis? ¹⁾ Ex quo patet, Arabes ignorantia maxima adductos statuatam quandam insignem, quae alium quemlibet deum magis quam Abrahamum repraesentabat ²⁾, pro Abrahami imagine habuisse.

Jam quum Djannabius ³⁾, magnae auctoritatis scriptor, illam Abrahami imaginem juxta illum lapidem, qui locus Abrahami adpellatur, positum fuisse distincte diceret, quid dubii relictum est, quin locus Abrahami ab imagine illa, quae Abrahami habebatur, nomen suum traxerit? — Ita quaestio difficillima, unde Abrahami locus denominatus sit, plane est expedita.

Sed aliter Muhammedi visum est. Hic enim loco Abrahami documentum manifestum sibi praeberi existimavit, quo antiqua templi origo inde ab Abrahamo exorta probaretur.

Hanc in sententiam praecipue adductus esse videtur illa narratione, quam Genesis auctor (c. XXI. v. 14 — 22) perhibet, Ismaelem cum matre Hagara propter Sarae in-

¹⁾ Pococke, p. 98. — Abulfed. II.

²⁾ Quatenus hac de re Movers in libro: „Ueber die Gottheiten der Phönizier,“ erraverit alias demonstrabimus.

³⁾ Poc. p. 99.

vidiam ab Abrahamo dimissum in deserto (Paran) Arabico sedem fixisse. Sed sicut omnes fere historias sanctae scripturae desumptas non integras sincerisque sed fabulis nugisque posteriorum interpretum commixtas Muhamedes accepit, ita et hanc quoque narrationem multis figmentis auctam et exornatam percepisse videtur. Nam multis ex locis Korani (Sur. XIV. v. 40, Sur. II. v. 120) apparet, observatam ejus animo esse illam fabulam, quam Judaei sanctae scripturae interpretes tradebant de itinere, quod Abrahamus filii visendi causa bis susceperit. Hanc fabulam explicatissimam legimus in libro „Sefer Hajjaschar“¹⁾, eamque Codbeddinus supra laudatus ita retulit, ut, si ea, quae islamiticae religionis studium addiderat, exceperis, omnia in verbum ferme convenient. Itaque facile sibi persuadere poterat propheta, Abrahamum, quum filium visitaret, Cabam extruxisse, testimonioque illum lapidem posteris reliquisse, ut dicere etiam non dubitaret, illum antiquiorem Arabum cultum purioremque, quem ab Amruo filio Lohai commutatum esse fama ferebat, principio ab Abrahamo constitutum esse, sed temporum decursu corruptum depravatumque in idololatriam degenerasse. Atque ita Muhammedes, quemadmodum totam suam religionem jam ab Abrahamo profectam sed a se restauratam nominabat (Sur. II. v. 124 — 127. Sur. XLII. v. 11), sic etiam templum Meccanum, quod restauratae religionis fundamentum judicabat, jam ab Abrahamo conditum sed a se re-integratum purificatumque esse voluit.

B. Muhamedes quidem imaginandi quadam vi adjutus

¹⁾ In hoc libro omnes fabulae ad „Genesis“ pertinentes secundum antiquissimos fontes congestae sunt.

totam rem facili negotio expederat. At non ii, qui eum sequebantur. Hi enim quum omnia Korani verba sancta et divina, quibus nihil falsi posset inesse, putarent, omnem operam impendendam esse existimaverunt, ut ea cum iis sermonibus conferrent exaequantque, qui Korano repugnantes contrariique vulgo tradebantur. Primum enim nemini erat incognitum, templum Meccanum ne triginta quidem annis ante Hidjram a Koraischitis restauratum fuisse, qua in restauratione ipsius Muhamedis sententia inter tribus exorta composita esset¹⁾. Deinde omnium ore divulgatum erat, sicut infra videbimus, urbem Meccam olim sub regum imperio Djorhamitarum fuisse, hisque auctoribus et praesidibus, Cābam aedificatam et servatam esse; eas vero tribus, quas Muhammedes Ismaelis posteros nominans inde ab Abrahami tempore Meccam inhabitasse dixerat (Sur. II. v. 120—124, Sur. XIV. v. 40) jam olim Mecca a Djorhamitis expulsas esse neque ante Kossaium, Koraischitarum ducem ipsiusque Muhammedis atavum (a. 450 p. Chr. n.), in hujus urbis templique possessionem venisse. Haec omnia vulgi ore tradita et credita, quorum nihil fecerat mentionem Koranus, verbis tamen ejus aptari oportebat. His igitur ex causis primum plures Cābae aedificationes existisse accipi necesse erat, quarum omnium primam illam fuisse, quam Koranus ab Abrahamo factam esse commemorat. Deinde hanc primam Cābae aedificationem in Djorhamitarum tempus referre aptissimum videbatur, quod hoc tempore et Cābam aedificatam et Ismaelitas Meccae fuisse fama ferebat. Quibus rebus quum adjungeretur fabula illa ab Judaeis relata

¹⁾ Abulf. De vit. Muh. p. 13.



de itinere Abrahami ad filium suscepto, quae doceret, qua ratione Abrahamus Meccam venisset et qua in occasione Cābam condidisset, jam nuda Korani verba ea specie induta et exornata evaserunt, quae ea apud Abulfēdam supra laudatum aliosque innumerabiles scriptores legimus. Quod autem Ismaelem cum Djorhamitis connubium iniisse plerique Arabum scriptores dicunt, in eo nihil nisi vulgaris opinionis explicationem invenimus, secundum quam illae tribus, quae Ismaelitae dictabantur, ideo *Arabes insititi* vocati sint, quia stirpe hebraica nati necessitudinum vinculis cum Arabibus indigenis coaluerint.

Quod denique plures scriptores, quos infra cognoscemus, Ismaelem filiam regis Djorhamitici in matrimonium duxisse ferunt, nescio, utrum hac affinitate jus Meccae Cābaeque, quae Djorhamitarum olim fuisse constabat, Ismaelitis vindicare voluerint, an Ismaelem cum Adnano, qui infra Ismaelis locum obtinebit, an denique cum Kozαιο Koraischitarum duce Meccaeque expugnatore commutaverint, quem ultimi regis Chosaitici filiam uxorem duxisse certum est.

C. Hanc de templi Meccani aedificatione jam amplificatam narrationem etiam augere placuit posterioribus Arabum scriptoribus, qui illas fabulas ab Judaeis ad gloriam Hierosolymitani templi praedicandam effectas cognoverant. Arabes enim nimio Islamismi ejusque templi studio commoti haud libenter tulerunt, templum Meccanum ullo modo atque ulla re Hierosolymitano superari. Itaque quas virtutes laudesque Judaei suo templo vindicabant, auctiores etiam atque amplificatiores eas in suum conferre Arabes non dubitabant. Cujus rei ansam praebebat illud ambiguum incertaeque significationis verbum, quo Muhammedes

(Sur. III v. 90) usus templum Meccanum vel primum, vel antiquissimum, vel praeclarissimum haberi jusserat. Hac ambiguitate factum est, ut quodlibet magnum et antiquum ei attribui atque ex omni gloriae concertatione cum Hierosolymitano templo facta superius excedere deberet. Neque illud quidem dubitaverim, quin ipse Korani auctor hoc versu laudato id egisset, ut ratione quadam ambigua templum Meccanum Hierosolymitano anteponeret. Omnes enim fere Korani interpretes consentiunt illum versum edictum esse eo tempore, quo Muhammedes faciem inter precandum non amplius versus Hierosolyma sed versus Cabam adverti jusserat. Ita Djelaeddin, magnae auctoritatis interpres, dicit, hunc versum manifestatum esse, quod Judaei dicerent, nostram Kiblam (quo vocabulo conversio faciei inter precandum significatur), meliorem vestra esse. Item Al Djusi in libro de peregrinatione ¹⁾ sic dicit: „Causa, propter quam hic versus manifestatus est, in eo posita esse dicitur, quod Muslemi et Judaei inter se certabant. Judaei enim dicebant, templum sanctum (Hierosolymorum) praeclarius Caba, Muslemi vero, Cabam praeclariorem Hierosolymitano templo esse; hoc igitur versu manifestato Caba palma vindicata est.“ Similiter et Beidhawium ad hunc versum memorare jam supra vidimus. Itaque quod exemplum ipse propheta edidisset, sectatores sibi esse imitandum fas habebant.

Jam Judaeorum doctores templi Hierosolymitani originem in ipsum deum referebant. Conferas licet tractatum „Pirke Aboth“ (cap. VI. §. 10), ubi in hujus rei argumentum versus citantur (Exod. XV. v. 17): „O deus

¹⁾ Abulfeda de vita Muham. p. 54.

adducis inserisque eos in montem tuum proprium, in arcem tuae sedis quam fecisti; in templum, o domine, quod tuae manus condiderunt," et (Psal. LXXVIII. v. 54): „Adduxit eos deus in territorium sacrum suum, in montem hunc, quem dextra tua condidit."

Quamquam enim haud ignorabant Rabbini, templum Hierosolymis a Salomone rege aedificatum esse, tamen idem indole sua principio penes deum fuisse his versibus effici credebant. Idem Rabbini, nescio an Jesaiae verbis (cap. VI. v. 7) innixi, multa fabulantur de templo dei coelesti, in cujus normam terrestre Hierosolymis ad perpendicularum subter illo conditum esset. Dicunt enim Jacobum patriarcham, Haranam profectum, quum in templi locum pervenisset ibique pernoctasset (Gen. XXVIII. v. 11—19) illam scalam in somniis vidisse, quae a coelo usque ad terram pertinuisset. (Conf. Tractat. Cholin p. 91. fol. 2); tract. Pasachin p. 88). Idem Rabbini templi Hierosolymitani fundamenta inter prima dei opera vel omnium primum opus mundi censent. (Conf. Tract. Sukah p. 49 fol. 1.)

Has igitur nugas de templo Hieros. proditas Arabes sine ulla dubitatione pro veris habentes ita convertebant, ut omissis omittendis, additisque addendis, omnes in ipsam Caba aptarent. Itaque Caba originem in Adamum et in ipsum deum referebant, eamque templi coelestis instar appellabant. Abbasi filius, Muhammedis patruelis tradit, prophetam dixisse templum coeleste Al Dhurah vocatum ita supra Caba conditum esse, ut si illud decideret, hanc obrueret. (Abulf. de vit. M. p. 37). Quid, quod quum Judaei immolationem Isaci propositam (secundum Genes. XXII) in monte Moria, in quo postea templum Hieros.

aedificatum est, accidisse dicerent, Muslemi immolationem ab Isaco ad Ismaelem transferentes in Caba, et in loco quidem Abrahami propositam fuisse contendunt? Sed his jam acquiescere possumus. Satis enim demonstrasse videmur, unde figmenta de Caba aedificatione exorta sint et unde incrementa acceperint; in singulis vero nugis latius fusiusque explicandis diutius consistere, neque ad finem propositum valet, neque omnino operae pretium est, praesertim quum ita earum fontes aperuerimus, ut non modo unde effluerint, sed ratio etiam, qua mutatae vel mutandae fuerint, ut Islamismi ingenio convenirent, satis perspici possit. Illud tantum adjungo, morem Arabicorum scriptorum fuisse, ut, quum de Caba dicerent, non, variis contrariisque sententiis collatis, critica quadam arte quae verissima viderentur, retinerent, quae vero falsa, abjicerent, sed omnes, quae de Caba unquam prolatae essent enuntiationes ita conjungere studerent, ut unicuique locus daretur, cui inseri posset. Itaque omnia, quae vel ab hoc vel ab illo interprete commentarioque tradebantur, in unum congesserunt, sicut etiam in Cotbeddini descriptione Cabaiae nihil omissum videmus, quidquid fabularum hac de re effectum sit. Quod denique Cotbeddinus alique de *decem* Cabaiae aedificationibus dicit, in eo nihil nisi studium inane sanctam rem in sanctum integrumque numerum decem redigendi cognoscimus, quod etiam ex eo intelligi potest, quod ab Adami filiis quoque Cabam aedificatam esse volunt, quibus, nisi numerum complerent, cur locus in sacro opere daretur, nunquam perspici posset.

Jam eo pervenimus, ut, fabularum figmentorumque fontibus detectis, ad ipsum propositum transire, et tem-

pli originem, ejus vetustatem et historiam explicare possumus. Sed pauca de templi nomine, quia lucem quandam disquisitioni affert, praefabimur.

CAPUT TERTIUM.

De templi Meccani nomine et origine.

Templum Meccanum inde ab antiquissimo tempore *Câbae* nomine appellatum esse, omnia Arabum monumenta, omnesque scriptores testantur. Quod vocabulum quum arabice elatiorem excelsioremque locum interdum significet, quidam scriptores (Pococke p. 118) hoc nomen ideo templo inditum esse existimabant, quia attitudine sua ceteris Meccae aedificiis supereminuisset. Sed falso. Nam primum templum Meccanum antiquo tempore neque excelsum, neque ullis aedificiis circumdatum, sed solum in deserta regione collocatum fuisse ex ipso Cotbeddino intelligi potest ¹⁾, ut nulla ratione templum ceteris aedificiis, quae nusquam fuerint, supereminuisse dici possit. Deinde alia quoque templa Arabum hoc *Câbae* nomine cognita fuisse, Firuzbadins, Kamusi auctor, testatur, quae num altitudine ceteris praeminuerint, nusquam mentio facta est.

Rectius igitur plerique scriptores templum Meccanum propter constructionem suam quadratam nomine *Câbae*, quod proprie figuram quadratam significat, appellatum esse dicunt. Attamen hoc monendum est, *Câbae* nomen prin-

¹⁾ Not. et extr. Tom. IV. l. 1.

cipio non ipsi templo sed ejus adoramini inditum esse, quod ita esse jam in Assemani Biblioth. (Tom. II. par. secund. cap. X. §. 11) observatum est. Adoramen autem templi nihil aliud erat, quam ille celeberrimus lapis niger quadratus, qui jam ante ipsum templum conditum celebratus divinoque honore habitus cultusque erat. Adorabant enim veteres Arabes lapides singulari forma insignes, eosque sacrificiis, peregrinationibus, sanctis operibus honorabant, quem ob lapidum cultum Arabes apud exterās etiam gentes famosi erant. Ita Clemens Alexandrinus in Protreptic.: Olim itaque Scythae acinacem, Arabes lapidem, Persae fluvium adorabant," et Maximus Tyrius Serm. 38: „Arabes quidem deum colunt, qualem tamen minime novi, statua autem quam vidi „λίθος ἦν τετράγωνος", et Suidas: „Θεοσάφης τῶν Ἀράβων εἶδωλον, τὸ δὲ ἄγαλμα λίθος ἐστὶ μέλας τετράγωνος, ἀτύποιος, ὕψος ποδῶν δ', εὖρος δύο, ἀνακεῖται δὲ ἐπὶ βάσεως χρυσηλάτου," et ipsi alio loco demonstrabimus, plurimos deos deasque Arabum rudium lapidum specie cultos esse ¹⁾. Sed hoc quum de lapidum cultu disseremus. Ad nostram quaestionem expediendam hoc unum efficere volumus, cultum venerationemque Cabaee primitus lapidi isti nigro attributa esse, qui tum demum in templo depositus est, quum ad documentum testimoniumque societatis, quam inter plures tribus Meccae congressas initam esse infra videbimus, constitueretur. Itaque Cabaee templum et nomen et ipsam quadratae formae speciem ab isto lapide sacro deduxisse, jure contendere possumus. Quod simili quadam ratione in Jemenensium quoque templo

¹⁾ Herod. lib. III, c. 8. — Pococke spec. p. 113.

quod interdum nomine *Câbae Jemenensis*, plerumque vero *Dhul Chalaza* ab idolo ejusdem nominis denominatum invenimus. Idolum vero Dhul Chalaza nihil aliud quam lapis quadratus erat ¹⁾, qui quum fama peregrinatorumque frequentatione magis magisque cresceret, templi honori praesidioque demandatus est. Idem evenisse in idolo Saad, formae oblongae ²⁾ lapide, quod fama auctoritate auctum in templo „Saïda” dicto collocatum est, cognoscimus; ut nihil dubii relictum sit quin omnia fere Arabum templa Câba vel similiter adpellata a lapidibus divino honore habitis et foundationis primordium et denominationem acceperint. Hoc eo firmiter contendere possumus, quum nusquam, ulla mentio reperiatur, ex qua templa ipsa ab Arabibus (sicut a Zabaeis) adorata fuisse, percipi possit.

Ac ne illud quidem omittendum est, quoniam ad nostram sententiam confirmandam valet, quod multis etiam seculis post templum conditum lapis iste niger summae gravitatis sanctitatisque esse non desiit atque ex eo ita omnis templi auctoritas dependit, ut si sublatus foret, non gravitatis modo detrimentum, sed templi exitium secutum foret. Nam teste Massudio ³⁾ aliisque scriptoribus, Djorhamitae quum sub initium tertii seculi post Chr. n. Câbae custodia depulsi Meccam relinquere coacti essent, lapidem nigrum sibi carissimum secum auferentes loco abdito occultaverant. Quod quum mulier e Chosaitarum gente vidisset, cumque suis communicasset, Chosaitae lapide potiti sunt, neque eum incolis urbis suppliciter repentibus reddiderunt,

¹⁾ Notic. et extr. Tom. II, p. 130 etc.

²⁾ Pococke, p. 101.

³⁾ Mem. de l'acad. T. 48, p. 575.

priusquam Càbae custodia praesidiumque sibi concessum esset. Quodsi lapidis pretio ipsum templum concessum est, quis est, qui dubitet, quin in hoc lapide tota templi auctoritas posita fuerit? Quid, quod ipsi Muslemi a vetere illa lapidis veneratione desistere non poterant, multasque de eo fingebant fabulas, ne, cultu idolorum sublato, pristinam gravitatem sanctitatemque amitteret? Dicunt enim, eum albo colore de coelo delapsum esse, sed hominum peccatis nigrum redditum; eum esse dextram dei in terris etc. Item Safio 'Eddin apud Pococke (p. 117) dicit, nunquam illum lapidem vel paganismi vel islamismi tempore auctoritate pollere desiisse, semperque eum felicitatem hominibus redundantem circumitum et veneratione affectum esse; qua quidem in re, quid islamismus de veteris religionis cultu retinuerit, satis perspicere possumus. Sed hac de re satis est. Verum quum templi nomen ratioque primae foundationis aliquo modo inclaruerit, jam quo tempore, quibusque auctoribus templum Meccanum conditum sit, disseramus.

CAPUT QUARTUM.

Templum Meccanum quo tempore et quibus auctoribus conditum sit.

Jam in fabulis de Càba explicandis commemorare non omisimus, quantam posteriores Arabum interpretes, secundum Koranum Càbam describentes, operam dederint, ut diversos de Càbae exstruktionem sermones vulgi ore propagatos cum Korani nugis conferrent exaequantque.

Famam fuisse vidimus, templum Meccanum eo tempore, quo Djorhamitae Meccae regnabant, aedificatum esse; eamque famam ita interpretes diversae Korani narrationi accommodabant, ut Abrahamum Ismaelemque, quos Koranus conditores Cābae nominat, Djorhamitarum tempore Meccae consedissee dicerent. Sed Abrahamum et Ismaelem fabulorum licentiae tantisper concedamus, in fama verò illa de Djorhamitis Cābae conditoribus multum veri inesse haudquaquam negari potest. Confirmatur enim ab omnibus Arabum scriptoribus ab Abulfeda (hist. ant. p. 26), Djanabio (Pococke p. 80), Nowairio (Eichh. monument Arab. p. 79), Cotbeddino supra memorato, auctore Sirati Al Rasul, aliis, qui etsi in singulis differunt, in eo tamen conveniunt, quod tempore Djorhamitarum Cābam conditam esse dicunt. Quae res eo minus negari poterat, quod ab ea initium verae divulgatissimae, qua Arabes rerum temporumque seriem ordinabant, incepisse postea videbimus. Itaque quum hoc effecerimus, Cābam Djorhamitis Meccae regnantibus, exstructam esse, illud potissimum erit inquirendum; Djorhamitae qui fuerint, quoque tempore Meccae regnaverint.

EXCURSUS PRIMUS.

De tempore, quo Djorhamitae Meccae regnaverint.

„Djorhamitae, Abulfeda (antisl. p. 130) inquit, duplicis sunt generis, Djorhamitae priores, qui tempore Aditarum fuerunt et interierunt, quorum res gestae ignorantur; hi inter Arabes quorum progenies non exstat, nu-

merabantur. Djorhamitae posteriores auctorem generis habent Djorhamum Kahtani filium. Terram Jemen Jarebus obtinuit, ejus vero frater Djorham terram Hedjas. Reges Djorhamitarum fuerunt:

1. Djorham Kahtani filius.
2. Abd Jälil, Djorhami filius.
3. Djorscham, Abd' Jalili filius.
4. Abd' Al Medan, Djorschami filius.
5. Nogailah (vel Nakilah vel Nafilah) Abd' Al Medani filius.
6. Abd' Al Mesih, Nogailae filius.
7. Modhadh, Abd' Al Mesih filius.
8. Amru, Modhadhi filius.
9. Al Harith, ejus frater.
10. Amru, Al Harithi filius.
11. Bischer, ejus frater.
12. Modhadh, filius Amri, filii Modhadhi.

Hi Djorhamitae illi sunt, quibuscum societatem iniiit Ismael et a quibus uxorem accepit."

Hanc regum seriem; quantopere nominibus et ordine rectam exque auctoribus fide dignis desumptam arbitramur, omnino tamen et universam haud justo in tempore collocatam esse quum multis tum his argumentis manifeste elucet.

I. Primum enim Abulfeda ipse sibi repugnat; nam Djorhamitae priores tempore Aditarum degisse, ideoque ad Arabes, qui vocantur, extinctos adnumerandos esse dicit. Hoc distinctius (p. 180) in haec verba repetit: „Extincti sunt illi prisci Arabes, quorum historia accuratior propter temporum vetustatem nos fugit, Aditae, Thamuditae, Djorhamitae priores." Attamen quamvis de

Djorhamitis prioribus propter temporum vetustatem nihil afferre posset, posteriores tamen in eo ipso tempore collocare, eorumque reges ordine et nominibus accurate distinguere haudquaquam dubitavit. Djorhamum enim posteriorem filium Kahtani, hebraice Joktan dicti ¹⁾ fuisse dicit; Kahtanum autem eodem tempore, quo Aditae et Thamuditae nempe inter Noachum et Abrahamum vixisse, ipse Abulfeda ²⁾ et Genesis auctor ³⁾ testantur. Quo igitur modo factum est, ut illi Djorhamitae priores, hi Djorhamitae posteriores vocarentur, atque de illis nihil de his continuum regnum praedicaretur, quum utrique ipsius Abulfedae testimonio eodem tempore vixissent?

II. Deinde Abulfeda duodecim enumerat reges, quorum duo fratribus, ceteri patribus succedunt; hi vero, quum non amplius quam decem aeva peragant, non multo plus quam trecentos annos regnare poterant. Nam si unicuique regi triginta tres anni, secundum rationem historicorum vulgarem, attribuuntur, haud multo majorem annorum numerum inveniemus. Quodsi primus rex secundum Abulfedam Djorham filius Kuhtani fuerit, ultimus Djorhamitarum rex, Modbadh, ultra Abrahami tempus regnare non poterat; nam inter Kahtanum et Abrahami mortem multo majus quam trecentorum annorum spatium interesse ex Genesis auctore facili ratione cognosci potest. Attamen omnes Arabum scriptores ipseque Abulfeda ⁴⁾ una voce consentiunt, his Djorhamitis Chosaitas in urbis

¹⁾ Pococke, p. 39.

²⁾ Antisl. p. 16. lin. penult. p. 18. lin. pen.

³⁾ cap. X, v. 25.

⁴⁾ Antisl. p. 186, 1, 2; p. 192, 1, 10. De vit. Muh. p. 13.

templique principatu successisse; quum vero Chosaitas non ante tertium seculum p. Chr. Meccam ingressos esse constet, spatium duorum millium annorum inter ultimum Djorhamitarum regem et Chosaitas intercedere necesse est. Quid vero Djorhamitae intra hoc maximum annorum intervallum Meccae egerint, quoque modo se habuerint, nihil omnino memoriae proditum est. Nonne igitur jure quaerere possumus, qua ratione factum sit, ut de antiquiore Djorhamitarum regno accurata distinctaque regum series tradatur, de posterioribus vero Djorhamitarum rebus nihil ne incerti quidem afferatur?

III. Postremo si Abulfedae fides habetur, Ismaelis posteri propter connubia cum Djorhamitis inita *Arabes insititi* vocabantur, quod hebraica stirpe oriundi cum Djorhamitis indigenis coaluissent. Sed hoc inter Arabes indigenas et insititios discrimen quod usque ad Muhammedis tempus valebat, inde ab antiquissimo Ismaelis tempore jam esse exortum, neque bis millium annorum spatio deleri potuisse, quis est, qui credat?

IV. Denique ut duorum regum nomina omittam, Abd Jalil et Abd Al Medan proprie servum Jalili et servum Medani indicantia, quae idola Muhammedis etiam tempore culta jam ante Abrahamum natum adorata fuisse concedendum esset, quo modo sextus Djorhamitarum rex jam ante Abrahamum Abd Al Mesih, quod *servum Christi* significat, nominari potuerit, nemo est, qui intelligat.

Jam vero his argumentis satis superque demonstratum esse existimamus totam Djorhamitarum seriem ab Abulfeda in falsum tempus relatam esse, ut non dubium sit, quin Abulfeda Korani commentis adductus ideo totam Djorhamiticorum regum seriem in tam antiquum tempus

transtulisset, ut Djorhamitas jam tempore Ismaelis Meccam habitasse, cumque eo societatem iniisse credibile fieret ¹⁾).

Aliud igitur invertigandam erit tempus, quo Djorhamitarum regnum transferamus, atque ad alios scriptores recurrendum. Primum vero noster Cotbeddinus jam pluries laudatus hic quoque rectam nobis viam ingrediendam expediat. Hic scriptor postquam de Ismaelis societate, filia Modhadhi regis in matrimonium ducta, cum Djorhamitis inita, deque custodia Cabae primum Ismaeli ejusque filio Thabeto, tum vero Djorhamitis demandata disseruit in haec verba pergit:

„Deus auxit et Ismaelis et Djorhami posteris, qui necessitudinis vinculo conjuncti una habitabant. Djorhamitae vero templi custodiam obtinebant, quibuscum Ismaelitae propter necessitudinis rationem non contendebant. Postquam vero ita multitudine aucti sunt, ut Meccae territorium ad utramque gentem alendam non sufficeret, Ismaelitae Mecca egressi sunt; qui, quocumque proficiscebantur semper victores evaserunt; a deo enim adjuti erant, quod Abrahami religionem profitebantur. Itaque totam illam regionem Amalekitis ereptam sibi subigebant. Amalekitae olim ipsi Meccae imperaverant, sed a deo expulsi sunt, quod hujus loci sanctitatem facinoribus suis neglexerant.”

„Tempore interjecto, Djorhamitae eandem culpam contraxerunt, quum novis profanisque rebus loci sanctitatem

¹⁾ Monendum est, posteriores Arabum scriptores, Genes. c. 10, v. 26 — 30 innixos, omnes Arabum indigenas ad Kahtani sive Joctani originem referre studuisse, nomenque Hadoram (חַדְרָם) cum Djorhamo confudisse.

violarent. Rex Modhadh filius Amri, filii Al Harith, filii Modhadhi postquam suos, ne tali vitae ratione iisdem poenis se exponerent, quibus deus Amalekitas punisset, frustra commonuit, pretiosissimis templi rebus noctu in puteo Zemzem defossis, una cum Ismaelitis Meccam reliquit. Tum Chosaitae Meccam ingressi, Djorhamitis devictis, imperio potiti sunt. Hi Ismaelitis quidem Meccae habitandi copiam fecerunt, Djorhamitis vero sub capitis damno urbe interdixerunt, ut ipse rex cum suis in terram Jemen confugere coactus esset" ¹⁾).

Vide quanta simplicitate quadam nativa sinceritateque Cotbeddinus noster omnia quae memoriae tradita invenit, nulla temporum locorumque ratione habita, ad verbum referat. Nam eundem regem Modhadhum, filium Amri, quem modo Ismaelis socerum nominaverat, per Chosaitas Mecca expulsus esse dicit, quamvis inter Ismaelem et Chosaitas Meccam ingressos non minus quam duo millia annorum intersint!

Verum ego non oblectationis causa Kotbeddini narrationem retuli, sed ut ex ea demonstrarem Modhadhum filium Amri, quem ipse Abulfeda ultimum Djorhamitarum regem nominat, (scribendi vitio apud Abulfedem ultimum regem, Modhadh filium Amrui, filii Modhadhi vocari, manifestum est, quum Amru, decimus rex, non filius Modhadhi, sed Al Harithi sit) Chosaitarum tempore degisse, atque ab his Mecca esse expulsus, memoriae proditum fuisse. Quod et auctor libri „Sirat Al Rasul” confirmat. Hic enim Djorhamitarum historiam panlulum aliter relatam hisce verbis absolvit: „Ita Amru filius Al-

¹⁾ Notices et extr. de la bibl. Tom. IV, p. 538.

harethi, filii Modhadhi (undecimus igitur rex) Djorhamita Mecca egressus est, postquam capras duas aureas lapidemque (nigrum) fundamentalem in pateum Zemzem abscondidit, seque cum suis in Jemen recepit, magno dolore propter amissum Meccae templique imperium affectus" ¹⁾).

Neque aliter Ali Halebi in libro suo „Insan Alujan" et Hussein filius Muhammedis in libro suo „Chamis" (quos ex antiquissimis fontibus hausisse jam illustrissimus Weil monet) ultimum Djorhamitarum regem a Chosaitis expulsam Amruum filium Al' Harethi nominant ²⁾). Utrum vero ultimus Djorhamitarum rex Amru, an ejus filius Modhadhi fuerit, hic dijudicari non refert, et infra latius disquiretur. Hoc certe jam effectum esse videmus, ultimum Djorhamitarum regem Chosaitarum tempore degisse absque iis Mecca expulsam esse. Quum vero Chozaitae a. 210 p. Chr. n. ³⁾ Meccam ingrederentur, tempus ultimi regis Djorhamitici hac re ipsa definitum est. Tempore autem ultimi regis definito, jam tota Djorhamiticorum regum series arcto quodam circulo circumscripta est. Nam totum Djorhamitarum imperium, quum per decem aeva tantum viginisset, non multo plus quam trecentos annos excedere potuisse jam supra vidimus; quodsi ultimus a. 210 p. Chr. n. degerit, primus non multo ante primum seculum a. Chr. regnare potuit, ut totum Djorhamitarum regnum *intra primum seculum a. Chr. n. et tertium p. Chr. n. incidere* necesse sit.

¹⁾ Memoires de l'acad. Tom. 48. troisième extr. du Sirat.

²⁾ Weil, Muhammeds Leben. Stuttg. 1843, p. 7. Anm.

³⁾ De Sacy, Mem. de l'acad. Tom. 48, p. 517 etc. — Ruehle v. Lillienstern, die Araber vor Muhamed. Berlin, 1836.

Jam vero hoc Djorhamitarum tempore constituto, omnes difficultates supra allatae dissolvuntur. Nam primum haud amplius mirari debemus, quod regum nomina ordine distincta memoriâ retineri potuerint, quum eorum plerique infra Chr. n. regnariint; deinde ille quoque horror vacui temporis, quod secundum Abulfedam intra Djorhamitarum imperium intercedere necesse erat, plane evanuit; postremo sextus Djorhamitarum rex nomine servi Christi jure appellari poterat, quum multo post Christi natum regnaverit; illud denique discrimen inter Arabes indigenas et insitios factum, unde exortum sit, hic jam aliquo modo praesentiri potest, sed postea, quum de Ismaelitis dixerimus, clarius illustrabitur.

Finis excursus primi.

Hoc excursu de Djorhamitis facto, jam ad propositum propius accessisse videmur, quum tempus, quo Caba condita sit, jam aliquo modo definitum videamus. Nam aedificationem Cabaë, quam, Djorhamitis Meccae regnantibus, evenisse supra demonstratum est, neque ante primum seculum a. Chr. n., neque post secundum secul. p. Chr. n. existisse, haud amplius pluribus verbis explicari necesse est.

Sed his acquiescere nondum possumus, nisi hoc magnum trecentorum annorum spatium, quo templi aedificatio accidere poterat, arcissime circumscripserimus, aliisque aliunde desumptis argumentis nostram sententiam confirmaverimus. Quem ad finem Ismaelitarum quoque historiam, quos Djorhamitarum historia implicatos Cabaëque conden-

dae auctores vel certe participes fuisse saepe vidimus saepiusque videbimus, paululum collustrabimus, ut qui fuerint, et quo tempore Meccae versati sint, satis perspiciatur.

EXCURSUS SECUNDUS.

De Ismaelitis, qui fuerint et quo tempore Meccam ingressi sint.

Arabes duplici stirpe nati sunt, ut plerique scriptores contendunt; alteri Kahtano iique *Arabes indigenae vel puri*, alteri Adnano oriundi iique *Arabes insititii vel facti* vocantur. Adnano vero oriundi Ismaelitae etiam vocantur, quod Adnanum vel ipsius Ismaelis filium vel certe stirpe Ismaelis exortum esse dicunt. Quod vero ad Adnanum potius quam ad ipsum Ismaelem originem referunt, inde factum esse dicunt, quod in genealogiis suis usque ad Adnanum continua neque interrupta serie ascendunt, ultra Adnanum autem vel nulla vel incertissima stirps cognita sit.

Hanc apud Arabes divulgatissimam fabulam Europaei etiam docti, quum neque refellere neque confirmare potuerint, plerumque ad verbum referunt. Nos vero jam supra dijudicavimus, nihil genuini in narratione de Ismaelis stirpe relata inesse, eamque secundo vel tertio seculo p. Chr. n. ab Judais ad Arabes translata esse. Nostrum vero iudicium hisce argumentis effici et confirmari arbitramur.

1. Primum enim tota Ismaelitica gens jam multis seculis ante Chr. n. periisse et ex hominum memoria plane extincta videtur. Nam neque in posterioribus Judaeorum

neque in aliarum gentium scriptis hujus gentis ulla fit mentio, nisi ecclesiasticos excipias, qui sine ulla Arabiae peritia nomina sanctae scripturae desumpta, quamvis jamdudum extincta, retinebant. Ezechiel propheta, quum omnes fere Arabiae gentes (cap. XXVIII, v. 21—25) enumeret, Jeremias quum (cap. XXV, v. 23—25, et cap. XLIX, v. 28—34) harum faciat mentionem, Ptolemaeus geographus, quum omnes Arabum tribus recenseat (Asseman. bibl. orient. tom. III, pars II, c. X, §. 1) item Plinius (hist. nat. tom. I, lib. VI, c. 32. Edit. vet. cap. 28) nihil de gentibus, quae Ismaelitae vocantur, commemorant, Quomodo factum esse putemus, ut Ptolemaeus et Plinius singularum tribuum nomina cognoverint, harum vero commune Ismaelitarum nomen, quo omnes denominabantur, ignoraverint? In ipsis autem Arabum antiquioribus monumentis ego quidem nullum vestigium reperire poteram, quod ullo modo ad Ismaelis originem spectet; sed ingenue confiteor, me parum in literis Arabum poeticis versatum esse, ut certissimum judicium de eo ferre possim. At quum antiquissima etiam Arabum carmina non ultra tertium seculum p. Chr. n. recedere, inter omnes orientalium literarum peritos constet, haud multum omnino ad nostram quaestionem dijudicandam valere possunt.

II. Majoris etiam momenti hoc argumentum est. Arabes inde ab Adnano usque ad Muhammedem prophetam continuam duorum et viginti virorum seriem nuncupant, qui sunt:

1. Adnan. 2. Mädd. 3. Nisar. 4. Modhar. 5. Elias.
6. Madrica. 7. Chosaima. 8. Kanana. 9. Nodhar.
10. Malik. 11. Fih. 12. Galib. 13. Lowai. 14. Ka'b.
15. Morra. 16. Kaleb. 17. Kozai. 18. Abd' Al

Menaf. 19. Haschim. 20. Abd' Al Muttalib. 21. Abd' Al Allah. 22. Muhammed.

Quodsi horum unicuique, secundum solitam historicorum rationem, triginta tres attribuuntur anni, tota haec series [$22 \times 33 = 726$] septingentos viginti sex annos efficit.

Quum vero Muhammedes a. 632 p. Chr. n. mortem obierit, Adnanum non ante primum seculum Chr. n. ponere possumus¹⁾ (nam 632—726 efficiunt 94 ant. Chr. n.). Ex hoc sequitur, inter Adnanum et Ismaelem spatium prope duorum millium annorum intercedere. Attamen ad unum omnes, quae vocantur Ismaelitae, tribus, quas Ibn Kotaibah, Abulfeda, Hammer²⁾ accuratissime recensitas referunt, suam originem ad Adnani posteros velut Mâdd, Modbar, Nisar, Jjad, Rabia etc. referunt. Quodsi verum esset, Arabes Ismaeliticos jam ante Adnanum inde ab Ismaelis tempore in Arabiam consedissee, nonne jure quae- rere possemus, quomodo factum esset, ut nulla tribus Ismaelitica inveniretur, quae originem suam ad parentem aliquem Adnano antiquiorem Ismaelique propriorem referret? Nonne ex hoc satis cognoscimus, omnium, quae vocantur Ismaelitae, tribuum originem non ultra Adnani tempus recedere, huncque fuisse primum, qui Meccam profectus illis tribubus ortum et initium dederit?

Itaque Ismaelitarum quoque aevum ita circumscriptum videmus, ut eos neque multo ante neque multo post primum seculum a. Chr. n. Meccam ingressos esse statuere possimus. Hoc vero tempore statuto, jam illa quoque

¹⁾ Eichhorn: Monum. Arab. p. 20.

²⁾ Wiener Jahrbücher. Bd. 93. 94. 95.

quaestio, qua ratione fieri potuerit, ut illud discrimen inter Arabes indigenas et insititios factum per tria ferme millia annorum inde ab Ismaele usque ad Muhammedis tempus permanserit, expedita est. Hoc enim discrimen non ultra Adnanum, neque ultra primum seculum Chr. n. recedit, atque inde exortum esse cognoscimus, quod Adnanus et ejus posteri ex septentrione exque externa terra profecti in Arabica urbe Mecca sedes collocaverant. Nam hęc insititorum nomine a Djorhamitis differebant, qui a meridie exque ipsa Arabia eodem tempore Meccam se contulerant et distinctionis causa indigenarum nomine vocabantur. Mirum enim in modum ex nostris rationibus efficitur, Djorhamitas et Ismaelitas eodem tempore Meccae congressos esse. Nam Adnanum initio primi seculi (utque strictissime dicam 94 ant. Chr. n.) Meccam immigrasse modo demonstravimus. Djorhamitas vero supra, quum rem summam et universim disputaverimus, trecentos annos et triginta regnasse reperimus, quum unicuique decem regum, quos patribus succedentes enumeravimus, triginta tres anni attribuendi fuerint (efficiunt enim $10 \times 33 = 330$). Sed si accuratius rem investigamus, Djorhamitas non amplius quam ducentos nonaginta septem annos Meccae regnasse invenimus. Nam ultimus Djorhamitarum rex a plerisque scriptoribus, ab auctoribus „Chamis,” „Insan Alujan,” „Sirat Al Rasul,” Amru filius Harethi vocatur, ut jam Weil (l. l. p. 7) ultimum regem Modhadhum plane delendum esse censeat. Nos quidem hunc retinendum (quia ab Abulfeda et Kotbeddino, qui Weilum effugisse videntur, memoratur), sed jam initio regni a Chosaitis expulsus esse arbitramur. Itaque novem tantum reges patribus succedentes restant, quibus

non amplius quam ($9 \times 33 = 297$) ducenti nonaginta septem anni attribui possunt, ut quum finis regni anno 210 p. Chr. factus sit, initium regni anno fere 87 ant. Chr. exorsum esse appareat. Atqui initium regni initium quoque immigrationis fuisse, scriptores ad unum omnes consentiunt, ut planissime jam pateat, *Djorhamitas et Ismaelitas eodem ferme tempore, et initio quidem primi saeculi ant. Chr. n., Meccam ingressos esse.*

Haec vero nostrae disquisitionis summa quam praeclarissime congruit cum illis veterum Arabum rumoribus, ex quibus, quamvis Korani fabula adulteratis depravatisque, hoc jam supra cognoscere potuimus, Ismaelitas et Djorhamitas eodem tempore Meccam immigrasse et in Caba aedificanda una affuisse, vulgi ore memoriae proditum fuisse. Sed quidquid in his veri de Ismaelitis Abrahami posteris perhibetur, nunc ad Adnano oriundos transferri, et quidquid Abrahami tempore factum esse denuntiant, in initium primi saeculi a. Chr. n. referri necesse est.

Jam sequuntur tabulae, quae Ismaelitarum et Djorhamitarum seriem perspicuam reddunt, magnumque momentum ad nostras rationes confirmandas afferunt.

Ismaelitarum patres.

1. Adnan immigr. Mec. a. Ch.	94
2. Ma'dd	61
3. Nisar	28
4. Modhar p. Ch.	5
5. Elias	38
6. Madrica	71
7. Chosaima	102
8. Canana	135
9. Nodhar ¹⁾	168
10. Malic	201
11. Fihr	234
12. Galib	267
13. Lowai	300
14. Ca'b	333
15. Morra	366
16. Celab	399
17. Kozai	432
18. Abd' Al Menaf	465
19. Haschim	498
20. Abd' Al Muttalib	531
21. Abd' Allah	564
22. Muhammed	599
Muhammed mortem obiit	632

Djorhamitarum reges, qui patribus succedunt.

Djorh. immigr. Mec. a. Ch.	87
Abd Jalil	54
Djorscham	21
Abd Al Medan p. Ch.	12
Nogailah	45
Abd Al Mesih	78
Madhadh I.	111
Amru I.	144
Amru II.	177
Madhadh II.	210

Hae tabulae duabus maximi momenti rebus confirman-
tur. Primum Imaelitarum patrem decimum Malik filium

¹⁾ Eichhornius in monum. l. i. hunc, nescio qua ex causa,
omisit, quamquam ipse Ibn Kotaibah, quem potissimum sequitur
Eichhornius, Nodhar expresse nominat.



Nodhari nepotemque Cananae eo tempore vixisse videmus, quo ultimus Djorhamitarum rex Mecca expulsus sit. Ipsius autem Cananae nepotes Chosaitis Meccam ingressis succurrisse, auctor libri laudati „Sirat Al Rasul” affirmat, cujus verba haec sunt ¹⁾: „Quum Djorhamitae iniqua facinora committerent, aliisque tribubus Meccam peregrinantibus injurias afferrent et dona Cabaë consecrata sibi arrogarent, tum seditio Meccae exorta est. His enim cognitis, filii Becri, qui filius Abd Menathi neposque Cananae fuit, cum Gabschanitis, qui Chosaitarum pars erant, se conjunxerunt, et bello inito Djorhamitas Mecca expulerunt.” Ex quo efficitur, Malicidas, sicut Becridas, qui ejusdem Cananae nepotes fuerint (Abulf. ant. 196. l. 12 etc.) tempore, quo Chosaitae Djorhamitas devicerant, vixisse; quod ita esse nostra etiam tabula ostendit.

Alterum vero argumentum hoc est. Septimum decimum Ismaelitarum patrem Kozaium, secundum nostram tabulam ab a. 432 — 465 degisse videmus. Hunc ipsum Kozaium, Hamza Isfahanensis (p. 36. edid. Schult) perhibet, aequalem fuisse Fairuzis (Pherozis) Jesdedscherdis II. filii, qui regnum iniit a. 459 p. Ch., ex quo nostram tabulam confirmatam intelligimus.

Finis excursus secundi.

Historia Ismaelitarum Djorhamitarumque hactenus perillustrata, quatenus ad nostram quaestionem expediendam spectat, jam ad propositum revertimur, ut de Cabaë con-

¹⁾ Memoires de l'acad. tom. 48 troisième extr. du Sir.

ditae tempore origineque latius distinctiusque disseramus. Illud quidem, jam Djorhamitarum historia demonstratum, etiam Ismaelitarum confirmatur, quod Càbae aedificationem ante primum saeculum Chr. n. evenire non potuisse dixeramus. Nam si Ismaelitae ullam partem in Càba condenda habuerint, quod Arabum scriptores una voce affirmant, dici non opus est, Cabam ante hoc tempus condi non potuisse, quum ante hoc tempus Ismaelitae Meccae nondum versati essent. At finis ab altera parte constitutus haud sufficit, ut ipsum tempus, quo Càba condita sit, stricte statuamus. Magnum enim trecentorum annorum spatium ab altera parte restat, intra quod Càba aedificari potuit. Ut igitur strictissime Cabae conditae tempus statuamus ad alia quoque praesidia praecipue ad aeras, quibus prisci Arabes temporum casuumque seriem ordinabant, succurrendum nobis est.

De priscis Arabum aeris, ita memoriae proditur, „Supputabant, ait Al Kodhai ¹⁾, Ismaelitae a Càba condita, nec aliter numerabant usque dum dispersi essent Ma'dditae; atque (exinde) quotiescunque exiret gens aliqua ex Tehama, ab egressu suo supputabant, deinde ab anno elephanti et die Al Fadjar. Qui autem Ma'ddo Adnani filio oriundi erant, a tempore, quo *Djorhamitae Amalekitas devictos e Mecca ditionibus expulerint*; deinde et ab diebus, quibus commissa inter ipsos proelia, ut a proelio Ibn Wayil et a bello Al Basus et bello Dabes.”

Ne quis vero haec verba male interpretetur, atque in eum errorem incidat, ut existimet, Ismaelitas et Ma'dditas diversa aera usos diversa stirpe oriundos esse, jam hic

¹⁾ Pococke spec. p. 179.

monemus, et Ismaelitas et Ma'dditas una atque eadem stirpe Adnani exortos esse et alias communi Ismaelitarum nomine vocari, sed hac una re differre, quod, quum ceteri Ismaelitae in urbe Mecca vel in circumjacentibus Hedjasi Tehamaeque regionibus remanserint, Ma'dditae jam mature, consanguineis relictis, in alienas terras sive in Iracum sive in Jemen profecti sint¹⁾). Hac vero re factum est, ut, dum remanentes Ismaelitae iis rebus, quae Meccae, Hedjasi Tehamaeque capite, gerebantur, aeras annecterent, Ma'dditae omni Meccae societate abstracti rebus inter ipsos gestis numerare cogerentur. Itaque quamdiu Ismaelitae et Ma'dditae una habitabant, una eademque aera utebantur, postquam vero Ma'dditae secesserunt, suam quaeque gens accipiebat aeram. Primam igitur aeram ante secessionem factam utrisque communem fuisse per se patet, ut non sit dubitandum, quin aera a Ca'ha condita non diversa fuerit ab ea, quae ab Amalekitis per Djorhamitas devictis inceperit.

Neminem autem verborum diversitas offendet, qui orientalium scriptorum rationem cognoverit, quibus moris est, ut si quid repetere coguntur, diversis repetant verbis, quae eodem sensu sed diversa specie varietatem oblectationemque quandam afferant. Utrum vero Al-Kodhai ipse hac verborum diversitate eandem aeram, an, ipse verbis ex antiquioribus fontibus haustis deceptus, diversam significare voluerit, dijudicare non necesse est; modo hoc teneamus, has diversas enuntiationes primitus et principio eandem aeram significasse.

¹⁾ Abulfed. antisl. p. 142, l. 20. Rasmussen: hist. Arab. antisl. p. 67, not. a.

Quodsi quis hac de re ullam dubitationem animo conceperit, audiat Hamzam Isfahanensem ¹⁾ de aeris Arabum ante Hidjram usitatis ita disserentem: „Epochae Arabum Ma'dditarum tam paganorum tam muslemorum decem sunt: 1. epocha adventus Ismaelis ad Meccam; 2. annus discessionis filiorum Ma'ddi; 3. annus principatus Amrui, filii Lohai; 4. annus quo obiit Ca'b, filius Lowai; 5. annus perfidiae; 6. annus elephantii; 7. annus scelestorum; 8. annus mortis Haschimi; 9. annus Ca'bae conditae (denno); 10. annus fugae Muhammedis.” „Quantum ad annum discessionis filiorum Ma'dde attinet, eo anno inceperunt Ma'dditae se dissipare et inde annos numerare; deinde quotiescunque gentes e Tehama migrabant, inde annos numerare coeperunt ²⁾.”

Quamquam vero Hamza ceteras Ismaelitarum et Ma'dditarum aeras confudit, prima tamen, quam nominat, aera nostram quaestionem ad finem perducit. Nemo enim dubitabit, quin hac prima Ma'dditarum aera, quam Hamza ab adventu Ismaelis exorsam esse dicit, non alia significetur quam denumerata a Ca'ba condita. Muslemus enim scriptor quum Korani auctoritate confisus Ca'bam ab Ismaele atque Abrahamo conditam esse pro certo haberet, in locum Ca'bae conditae Ismaelis adventum supponere non dubitavit. Verborum enim singulorum accuratiorem repetitionem, ut jam supra dictum, orientales scriptores minime curant, sed diversis verbis eandem sententiam re-

¹⁾ Rasmussen hist. Arab. antislam. p. 63 et 128.

²⁾ False vertit Rasmussen: „Eadem aera utebantur, quotquot gentes e Tehama migrabant,” quod neque verbis neque sensui accommodatum est.

ferre elegantioris etiam orationis ducunt. Verum argumentum, de quo agimus, ut aeram ab Amalekitis expulsis et a Ca'ba condita exorsam unam atque eandem esse demonstremus, planissime jam effectum est. Ipsis enim Ma'dditis, quibus Al Kodhai aeram ab Amalekitis devictis attribuit, Hamza aeram ab Ismaelis adventu vel a Ca'ba condita numeratam vindicat, ut plane jam appareat, aeras vel ab Amalekitis devictis, vel a Ca'ba condita, vel ab Ismaelis adventu numeratas verbis tantum neque re differre atque unam et eandem significare.

Hae vero aerae dispositae ut prolatas jam sententias confirmant, ita quaestionem quoque, de qua agimus, ut, quo tempore Ca'ba condita sit, strictissime statuamus, expediunt. Ca'bam enim videmus esse conditam eo tempore, quo vel Ismael, in cujus locum, secundum nostram rationem, Adnanus semper substituendus est, vel Djorhamitae, Amalekitis devictis, Meccam ingressi sunt. Nam Djorhamitas eodem tempore Amalekitas devicisse, quo omnino Meccam ingressi sunt, auctores sunt „Chamis“, „Insan Alujun“, „Sirat Al Rasul“¹⁾; expulsorum enim locum obtinebant. Quum vero et Ismaelitas et Djorhamitas primi seculi initio a. Chr. n. (intra 100 — 70 a. Chr.) Meccam ingressos esse, jam certum et statutum sit, Ca'bae quoque aedificationem eodem tempore evenisse necesse est. Sed ex ipsis scriptorum testimoniis, exque ipsa ratione et causa, quam ad Ca'bam condendam valuisse mox videbimus, satis apparet, Ca'bam non multo post harum gentium immigrationem aedificatam esse, ut ad veritatem proxime accedere videamur, quum dicimus:

¹⁾ Weil: Leben Muham. p. 2—4.

„Ca'bam anno octagesimo ante Christ. nat. condendam esse" 1).

De ratione vero et causa Ca'bae condendae, quum hic nihil nisi argumentis jam confirmatum afferre velimus, pauca tantum monemus.

Duae gentes moribus vitaeque ratione dispares ex diversis Arabiae partibus profectae in mediam terram inque Meccae regionem congressae erant. Harum altera Nomadum gens, rudis et omnis politionis vitae ignara, e septentrione Arabiae exque illa regione, quae propter fructuum inopiam semper et hodie quoque homines feros et rapaces gignit et alit, duce Adnauo emigraverat; altera vero Djorhamitarum gens ex australi Jemene, terra omnibus cultus luxuriaequae artibus jamdudum exulta, septentrionem versus profecta eodem ferme tempore in Meccae regionem pervenit. Hujus regionis incolae Amalekitae, gens antiqua lateque propagata, quum ingredientibus a sedibus suis arcere vellent, ab his devicti expulsique sunt. Com-

1) Libello hoc jam confecto, comperi, Gibbonem, illustrem illum scriptorem, idem fere conjecisse in historia sua Romanorum (Tom. XIV.). Gibbon enim recte observat, illud Arabum celeberrimum templum, quod Diodorus (Tom. I. lib. III. cap. 44. edid. Dindorf) *ιερόν ἀγιώτατον τιμώμενον ἐπὶ πάντων Αράβων περιτότερον* nominat atque inter Themuditas et Zabaeos situm esse dicit, nullum alium quam templum Meccanum esse. At quod Agatharchides geographus, qui sub Ptolemaco Philomatre (anno fere 100 a. Chr.) scripsit, in Arabiae descriptione hujus templi nullam fecit mentionem, ex hoc conjecturam facit Gibbon, templum Meccanum intra temporis intervallum, quod inter Agatharchidem et Diodorum intercedit (100 a. Chr. — I) conditum esse. At quod magnus ille scriptor conjectura sola opinatus magis quam arbitratus est, argumentis irrefutabilibus scientificaque ratione certum atque statutum redditum est.

munis enim hostis diversissimas gentes consociatas et amicas reddidit, ut conjunctis viribus bellum cum Amalekitis gererent. Nam Ismaelitas non minus quam Djorhamitas bellum Amalekitis intulisse, jam supra vidimus (conf. p. 32). Sed in hujus foederis initi documentum lapis ille niger quadratus, qui Ca'bae nomine jamdudum divino honore apud tribus illas rudes septentrionales valebat, erectus est, ut sanctae societati testimonio inserviret. Morem enim veterum Arabum Hebraeorumque fuisse, ut, si foedus inirent, lapidem in testimonii signum erigerent, jam et ex Genesis auctore (cap. XXXI. v. 45), et Josua (cap. XXIV. v. 26. 27), et Herodoto (lib. III. cap. 8) intelligi potest. Hic vero lapis mox templi praesidio demandatus est, Djorhamites, ut videtur, auctoribus, qui jam in altiorem cultus humanitatisque gradum eveci neque omnino rudium lapidum cultui dediti erant, neque lapidem illum nigrum tanta auctoritate habere poterant. Templum vero in communi territorio aedificatum, quum sub deorum tutela collocatum esset, velut pacis concordiaeque aedes habebatur, et tanta valebat reverentia et gravitate, ut in ejus territorio bellum gerere nefas haberetur, neque quisquam ante Kozaium, Meccae expugnatorem, in templi vicinia privata domicilia collocare auderet. Sacrosanctam enim deorum aedem neque profanis neque privatis rebus violandam esse existimabant. Erat, ut Koranus dicit (Sur. III. v. 90), asylum, quod, qui ingressus est, salvus evasit, et propriis nominibus ¹⁾, Al Harum (sacrosanctum), Al Nassa (scelestos expellens), Al Muhlic (scelestos perdens) sanctitatem testabatur.

¹⁾ Troisième extrait du Sirat.

Qui autem fortunae casus evenerint, quibus hoc parvum nonnullarum tribuum templum adeo fama auctoritateque auctum est, ut omnium ferme Arabicarum tribuum sanctuarium jam tertio seculo p. Chr. n. fieret, alio loco disseretur.

V I T A.

Ego Julius Ley natus sum Posnaniae a. MDCCCXXII die XIX mensis Martii patre Raphaelē Mose Levy, matre Beile e gente Loebel, quibus adhuc vivis gaudeo. Fidei addictus sum Mosaicae. Octodecim jam annos natus Berolinumque delatus ut in literarum studia incumberem, gymnasium Joachimicum auspiciis Meineke viri Ill. florens adii, in quo per quatuor fere annos literarum initia percepi, atque anno h. s. XLV maturitatis testimonio instructus a rectore magnifico Hecker civibus academicis adscriptus et a decano maxime spectabili Boeckh inter philosophiae studiosos receptus sum. Scholis interfui Boeckh, Ranke, Benary. Semestri insequente in universitatem Lipsiensem me contuli atque a rectore magnifico de Pfordten civibus academicis adscriptus, philosophiae orientaliumque literarum scholis Ill. Hartenstein, Fleischer, Tuch interfui. Berolinum deinde a. XLVI reversus scholis interfui philosophicis Ill. Trendelenburg, Gabler, Werder, philologicis Ill. Bopp, Benary, Petermann, Pietrashevsky, Dieterici, Wetzstein.

His illustrissimis doctissimisque viris maximas quas possum ago semperque habeo gratias.

THESES.

1. Orientales gentes aptiores quam occidentales sunt, in quibus recentiorum doctrinae societatis humanae reformandae restaurandaeque adhibeantur.
2. Semiticae linguae communi quodam vinculo cum Indo-Europaeis cohaerent.
3. Teutonica gens jam providentia destinata esse videtur, quae ceteris veritatis humanitatisque facem praeferat.





D: Hb 857

ULB Halle
001 173 340

3/1



